



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 124. Quænam promissiones sint jure irritæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

tum non videatur se eò extendisse , promissio enim non obligat ultra intentionem promittentis , & sicuti in generali concessione non comprehenduntur ea , quæ quis non concederet , si in speciali peterentur , ita nec in gratuita promissione comprehenduntur illi eventus , qui prudentis viri judicio exciperentur , si promittenti occurrisserent . Et hactenus dicta vera esse dicunt *Less. n. 48. & Dicast. n. 117.* , quamvis additum esset juramentum , hoc enim non exten-debat se longius , neque ad aliud , quam ad quod obligabat promissio .

Q. 123. An obliget promissio prodiga. R. Ob- 795
ligat , si solutio rei promissæ non sit peccamino-sa , quia quamvis promissio fuerit prodigalitas , executio tamen erit solutio justitiæ ; aliud enim est esse promissionem illicitam & promissionem illiciti , uti dictum est n. 69 i. notatque *Dicast. I. 2. t. 4. dub. 5.* ; sic si nobilis puella cum familiæ of-fensa , & justè invitis Parentibus promittat Ma-trimonium impari , peccat promittendo , sed quia non peccat ineundo , postquam promisit , tenetur inire , *Less. I. 2. C. 18. n. 9. Dicast. suprà.*
Vide dicta p. 1. n. 320.

Q. 124. Quænam promissiones sint jure irritæ. 796
R. Omnes , quæ dant occasionem peccandi , *Di-cast. à n. 170.* cum aliis . Hinc irrita est promissio , si quis promittat alteri remittere obligationem de dolo , de furto , de injuria , L. 27. §. 4. ff. *De pactis* , & Reg. 23. ff. *De Reg. juris.* Item si uxor illi , cum quo adulteratur vivente marito , promittat Matrimonium , Cap. *Si quis. 8. De eo* , qui duxit *Matrim.* Item si quis promittat beneficium Ec-clesiasticum necdum vacans , Cap. *Extenore. 13.*

De concess. præb., in his enim datur occasio machinandi vel optandi mortem. Item quibus auffertur potestas disponendi de rebus suis, v.g. quā quis promittit non condere aut non revocare testamentum, non instituere alium hærtendum nisi institutum, L. 6. Cod. *De pactis*, docentesque *Mol.* d. 271. *Leff.* n. 24. *Dicast.* n. 173.

797

Q. 125. Quid circa contractum donationis sit addendum. Rz. Notandum est, quod pleraque dicta de promissione, etiam intelligi debeant de donatione: Definitur autem donatio, quod sit contractus, quo plenum rei donatæ dominium gratis statim transfertur in alium, *Lugo* d. 23.n. 128. Dicitur 1., *Quo plenum dominium transfertur*, per hoc enim distinguitur ab emphyteusi, commodato, precario, deposito, pignore &c. quibus vel non transfertur dominium, vel transfertur tantum dominium utile, ususfructus vel usus.

2. *Gratis*, per quod distinguitur ab emptione & cæteris, ad donationem enim propriè dictam requiritur datio planè liberalis: hinc L. 1. ff. *Donat.* dicitur, donationem propriè esse, quam donator propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem & munificentiam exercet; hinc datio mutui non est donatio, quia sibi repetitur. 3. *Statim transfertur*, per quod distinguitur à promissione gratuita, quæ tendit in donationem pro futuro faciendam, unde ex promissione oritur obligatio donandi, ex donatione obligatio tradendi, & traditio est veluti executio donationis. Videri potest *Onn.* d. 30. f. 1. & seqq. Quamvis autem donatio regulariter in dubio non præsumatur, ex L. *Cum de indebito*, ff. *De probas.*, ex causa tamen remunerationis, &

quan-